



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Sapientia

**Pinamonti, Giovanni Pietro
Segneri, Paolo**

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

VD18 12664146

Comparendum erit reo peccatori in iudicio,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

CONSIDERATIO VII.
PRO DIE SABBATHI.

Judicium particulare.

PUNCTUM I.

Reus.

Anima quæ peccaverit. Ezechiel. 18. 4.

I. **C**ONsidera quis sit reus, qui ad hoc
Judicium rapitur. Ejus Personam
aget anima tua, quæ eodem ipso mo-
mento separationis suæ à corpore, eos-
demmet loco, erectum videbit tribu-
nal horrendum, à quo sententiam ex-
spectet. Eò pertrahetur illico sola, de-
stituta cognatis, amicis, servis, exuta
honoribus, opibus, patrociniiis nuda-
ta; Angelo tutelari, velut teste, latus
alterum, alterum stipante Dæmone,
ut accusatore; quorum ille bona, hic
mala in medium afferet, quæ gessis-
ti. Ubi nunc amici illi, & amicæ, qui-
bus toties postposita est Dei amicitia?
nul-

nullus usquam comparet, qui vel verbo patrocinetur unico, de æterna salute periclitanti. O Conditionem peccatoris expavescendam! cùm innumeris ipse onustus flagitiis, tot divinis admonitionibus refractarius tantarum reus ingritudinum, tam immanium convictus scelerum, in utriusque bivio æternitatis constitutus, hinc præmii, inde supplicii, utrobique æterni, cœlum inter Tartarumque medius, incertus, anceps, attonitus, tremens intueri cogetur judicem à se toties offensum, exspectare sententiam, à qua datur nulla appellatio, nulla provocatio admittitur; atque hæc omnia, tam horrida, tamque horrenda, jam imminent capiti tuo mi Lector; & forsàn hoc ipsum cubiculum, in quo hæc legis, vel certè illud alterum, in quo toties peccasti, hæc ipsâ horâ jubetur esse theatrum funestæ illius tragœdiæ. Forsàn hi parietes jam hoc momento in apricum proferent flagitia; tu tamen his nihil moveris, tuique tuæque salutis incurius, pergis porro peccare.

PUN-